



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Pancharius M. 19. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

bona; hæc inquam, tot mœroris argumenta, quorū  
antè lœtitiæ, dubiam utrinque victoriam fecere.  
Ego, si fas sit, octavum & dolorem & gaudium  
addidero, morte inter JESV ac MARIAE amplexus.  
Quid enim acerbius, quam hos ex oculis dimi-  
tere? quid dulcius, quam ab his oculos claudi?

*Ex lib. 3. Carthag.*

*Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis ob-  
temperare: Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, &  
tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, & tu dominari  
gestiens hominibes, tuo te præponis Auctori. S.Bern.  
hom. i.super Missus.*

S. PANCHARIUS M. 19. Martii.

**N**emo, ô juventus! nemo rectè duobus Domi-  
nis unus servit. Nempe duos nec amabis, nec  
amaberis à duobus. Si fidem Christo non habes,  
ah saltem tibi habe, juventutis habe Principi PAN-  
CHARIO. Quid non huic nomen suum promisit?  
unus Diocletiani furor, qui patriam infestabat,  
terrebat. Ergo Romam itur. Ah PANCHARI se-  
queris, non fugis hostem! Aula tamen accipit, opes  
stipant, honores aulæ Præfectum salutant, ipse  
Diocletianus amat. Fidem juro PANCHARI, odit  
tyrannus qui amat. Eheu! vates fui, blanditiis ex-  
pugnatur cereus animus, & dum fidus regi laborat  
esse, cælo fit perfidus, Christum, prô! cum Jove  
mutat. Ite nunc aulæ mancipia, ite Principes, fi-  
dem aulæ habete utrique, quæ fidem frangit DEO.  
Nunquid rectè iterum illud clamabo: *Exeat aulâ,*  
*qui pius esse cupit?* Exit ecce PANCHARIVS aulâ, à  
matre & sorore Christianis castigatus, & pius est  
iterum, iterum Christum amplectitur, Jovemque  
damnat, spectante & audiente Diocletiano. Furit

G 3

hic